

TERENTII CHRISTIANI  
PENTECOSTE;

*Sive,*

COMOEDIA PENTECOSTES, STYLO TERENTIANO, à CORNELIO SCHÖNBO GOU-  
DANO, quondam Gymnasiarchâ Harle-  
mensi, conscripta,

*In usum STUDIOSE JUVENTUTIS,  
ludos scenicos adamantis,*

Seorsim edita.



A B O Æ,

---

*Excusa à JOHANNÉ Winter/  
ANNO 1670.*

TERENTII CHRISTIANI,  
PENTECOSTE.

*Actorum Nomina.*

AZARIAS,  
HANANUS,  
SIMEON,  
MELCHIAS,  
PETRUS,  
ALEXANDER.  
ANNAS,  
CAIPHAS,  
JACOBUS,  
JOANNES,  
ACHIOR,  
SYRUS,  
JOSEPHUS,

PRO-

## PROLOGUS.

Jambici.



Lectionibus scholæ gravioribus,  
 Studijsq; severioribus ad tempus breve  
 Cum essemus liberati, in otio tamen  
 Ut planè versaremur, noster noluit  
 Didascalus. Novam itaq; hanc, & sacram suam  
 Nobis discendam, agendamque dedit fabulam.  
 Neq; quisquam, ut opinor, hîc adest, qui me sibi  
 Confutandum, vel reprehendum cogitet,  
 Quod historiam, non prophanis sed mysticis  
 Ex literis sumptam, appellare fabulam  
 Sim ausus. Itæ ego illam nomino: sed sacram, & pi-  
 Non talem, quales Ethnicorum fabulæ (am.  
 Fuerunt plurima, lascivis ac turpibus  
 Plena probris: fœda meretricum, & adolescentium  
 Palàm narrantes crimina. Deorum quoque  
 Adulteria, & incestus. Nihil tale hic sibi  
 Noster Choragus exhibendum existimat:  
 Juventuti sibi commissæ, veluti decet,  
 Ac par est, consulens. Itaque in scriptis suis  
 Spurcos & inverecundos jocos, cane  
 Pejus, & angue devitat. Sed eccum, adest  
 Qui periocham Comœdiæ, quam hic acturi sumus,  
 Vobis narrabit. Attentis queso auribus,  
 Animisq; cum auscultate. Audito, & cognito  
 Argumento, facilius percipietis cætera.



TERENTII CHRIS.  
PERIOCHA.

Jambici.

**A**postoli divino imbuti spiritu,  
Linguis loquuntur variis. Quotquot audiunt,  
Mirantur. Ebrios quidam illos asserunt,  
Quos Petrus confutat. Tria hominum millia  
Ad Evangelicam se convertunt fidem,  
Sanatur claudus. Optimè meritis mala  
Refertur gratia. deinde gravibus minis  
Interdicitur illis, ne Christum prædicent  
Usquam: quos illi nihil morantur. Ad pedes  
Apostolorum Josephus pecuniam  
Profundo acceptam, effundit liberaliter.

ACTUS I. SCENA I.

AZARIAS, HANANUS, SIMEON, MELCHIAS.

Jambici.

**D**Eum immortalem! quidnam hoc est novæ rei?  
Nonne omnes hi loquentes quos audivimus  
Dudum, Galilæi sunt? HA. Certè sunt. AZA.

Quid igitur (telligerem?)

Mihi accidit, quòd, quæ loquebantur, planè in-  
HA. Ego quoq; nostrates me audire existimabā.

SIM. Non illi suo sermone, sed nostro videbantur  
Uti. AZ. Oh, quis tale quid factum unquam au-  
divit? Haud

Humanum illud beneficium, at divinum esse ar-  
MEL. Næ vos tota erratis via. (bitrol.)

Ebrii sunt, ac musto pleni. hinc facundia

Illā. HAN. Non vinum, ut quod sentio loquar,  
Sed aliud herclè eos disertos efficit.

Verùm quid aut quale istud sit, me nescire fateor.

MEL. *Vah, temulentia mea est. SIM. Ne ita loquare ô bone. Nimis vile esset vinum, si ebrietas homini tale quid prestare posset.*

*Vidisti, & audivisti, opinor, ebrios loquentes sæpe. Dic mihi*

*Sodes, an tam prudenter, atq; sobriè loqui unquam visi sunt tibi?*

*Loquaces ebrios videas multos, sed eloquentem nullum. Ex ore autem horum quæ proveniebant, qualia*

*Et quàm pia ac magnifica erant?*

*Quæ quidem animum planè cõmoverunt meum. Itaq; divino illos spiritu afflatos puto.*

AZA. Idem & ego jamdudum persuasi mihi. HA. Et ego.

Neq; hanc opinionem à quopuam mihi velim eximi.

SI. *Me quoq; si in diversã quis pellicere sententiã conerur, nihil agat: nam sana, quæ audivi, mihi visa*

*Sunt omnia. MEL. Obe, credite hoc mihi, erratis, Erratis procul dubio. Quod ante dixi, Idem nunc dico denuo: ebrij sunt, &*

*Musto impleti. AZA. Neq; verũ: neq; verisilime mihi videris dicere. Sed egreditur unus*

*Ex illis, & huc accedit, videtur nos compellaturus. subsistamus hîc sodes, illumq; si quid fortè est dicturus, audiamus.*

AZA. Sequuntur & alii, quid sit futurum nescio.

PETRUS, AZARIAS, SIMEON, HANANUS.

*Jambici.*

SEQUIMINI me fratres, atque ad eos quos videmus hic

Stantes, eamus, illosque alloquamur. Eho viri,  
Quicunq; estis, adeste huc, & ad ea, quæ dicturus  
sum, (ne volas:

Aures accommodate attentas, dociles, atque be-  
Et rem, uti se habet, cognoscite.

Id enim vestra potissimū refert. Az. *Dic quod tibi  
Placet: auscultabimus libenter, tuaq; oratio (ut  
Pro alijs etiam loquar) grata admodū nobis erit.*

PET. Exordiar igitur. Hi Galilæi, qui apud  
Me consistunt, non ebrii

Sunt profectò, ut quidam existimant:

Cùm hora sit diei tertia: quo quidem  
Tempore nullos, aut paucos admodum ebrios  
In hisce nostris conspiciamus regionibus.

Sed quod per Joëlem vatem olim est denunciatū,  
Id nunc accidit. Nam sic locutus est vir ille  
Divinus, ac cœlesti afflatus numine:

Temporibus ultimis, inquit Dominus, meo  
Spiritu omne hominū genus perfundam lar-  
giter.

Nam vestri filii, atque filiæ vaticinabuntur, &  
Juvenes senesque somniis docebuntur.

Servi mei, atque ancillæ numine

Concitati divino, admiranda prodigia

Denunciabunt. Sed priusquàm hæc fiēt, plurima

Vir-



Virtute meâ exhibita conspicietis miracula, in  
 Cœlo, atque terra: sangvine  
 Nimirum, & igne, fumidoque vapore. Interim  
 Sol, qui omnia illustrat, caligine obscurabitur:  
 Et luna sangvine: antequam  
 Magnus, atque illustris ille Domini veniet  
 Dies. Quicumq; autem nomen Dei invocaverit,  
 Salvus erit. Hæc ante tot secula nobis sacer  
 Vaticinatus est propheta  
 Joël. Nunc vobiscû ut rem perpendatis obsecro.  
 Quod de mittendo, atq; infundendo spiritu suo  
 Prædixit, palàm hodie hic exhibitum vidistis.  
 Reliquorum quædã, magno terrore exanimati,  
 Tum conspiciebamus, quando in cruce  
 Jesus pendens, animam exhalabat. Quod autem  
 Restat, simili præstabitur fide. Atque ob id  
 Nihil est quod desperetis: certam enim ille vates  
 Salutis commonstrat viam,  
 Cùm periculum denunciat. quin insuper  
 Addit, quid vobis faciendum fiet. Neque  
 Grave, aut molestum est, quod jubet,  
 Sed factu facile. Dei, ait, nomen implorate, &  
 Parata vobis est salus.  
 Porro quopactò nomen Dei sit invocandum,  
 Audite nunc viri Israëlitæ. Multos ego  
 Inter vos esse existimo,  
 Qui novistis Jesum Nazarenum, quem Deus  
 Variis sacrorum vatum oraculis olim  
 Promissum, non ita pridem coràm conspiciendû  
 Atque audiendum exhibuit nobis: miraculis,

Rebusque prodigiis gestis, omnibus  
His cōmendatum regionibus, atque hæc ille omnia  
Divina effecit ope, præsentibus vobis.

Quapropter non arbitror, necesse esse,  
Ut ea hic oratione longiori

Commemorem. Quis enim vestrum est qui i-  
gnorat homines

Ægro, infirmoque corpore ab

Ipsō sanatos plurimos? cæcis suum

Restitutum visum? leprosos mundatos?

Ejectos cacodæmonas, atque adeo mortuos

In vitam revocatos? Nemo inter vos, ut opinor,

Qui hæc, & multa insuper alia, (est,

Ab eo facta inficietur. Notiora enim sunt, quàm

ut queant

(est Deus,

Negari. Talem igitur hunc cum nobis largitus

Non casu, aut fortuito, sed certo ipsius consilio,

Ad conservandam gentem Israëliticam,

Eum vos impiorum hominum opera

Comprehensum, cruciatibus ac tormentis gra-

vissimis

(minem

Affixistis. Neque eo contenti, in crucem, uti ho-

Sceleratum, sustulstis innocentem.

Deus autem, quemadmodum illum vobis tradi-

derat

(raculis

Occidendum, ita, (quod divinorum vatum o-

Eventurum multò ante prædixerat) in vitā ter-

Revocavit die. Nunc audite oro, quæ (tio

De illo dixit David, cœlesti spiritu

Afflatus; Propositum mihi



Dominum ante oculos semper habeo:  
 Atque illo propitio, & adiutore, nulla  
 Re commoveor: nec mens mihi  
 Eam ob rem solùm gestit gaudio; at multò magis  
 Quod planè persuasum habeam, illum apud in-  
 feros (suum, ut is  
 Animum non derelicturum meum, neq; permis-  
 Qui sua ei pietate placet, (tius  
 Intereat unquam: sed demonstraturum illi po-  
 Rectam vitæ viam, ne aberret uspiam.  
 Fortasse sunt inter vos, qui hoc oraculum  
 Ad Davidem potius, quàm ad Jesum referen-  
 dum existimant.

Novi ego quàm magnificè sentiatis  
 De illo vestro Patriarcha. In quo quidem  
 Reprehendendi nullo modo videmini mihi.  
 Fuit ille certè vir pius,  
 Sanctus, atque Deo charus. Sed, ut de eo  
 Vestro patre loquar libertiùs, minimè illud est ei  
 Attribuendum, quod de Messia est dictum. Mor-  
 tem enim

Obiit David, & sepultus est, (rat  
 Neq; revixit unquam. Atq; id verum esse decla-  
 Ejus sepulchrum, quod etiam nunc est apud  
 Nos: in quo nihil, nisi ossa illius squalida,  
 Ac sicca supersunt. Verum cùm esset spiritu  
 Divino illustratus, certoq; crederet  
 Eventurum, quod Deus ipsi se facturum  
 Recepisset: nimirum Christum ex ipsius  
 Stirpe, secundum carnem oriturum, illumq; fore  
 immortalem,

Et perpetuò cum Patre moderaturum omnia:  
 Non ad se vaticinium illud arbitratus est esse  
 Detorquendum, sed ad hunc Jesum, qui mortuus  
 Revixit. Atque hujus rei  
 Nos oculati testes sumus: qui non modò  
 Cum illo vivo familiariter  
 Viximus, & res ab eo prodigiosè gestas conspe-  
 ximus;

Sed postea cum à morte revixisset, vidimus  
 Eum sæpe. Neque vidimus  
 Solùm, sed faciem illius agnovimus, tum vulne-  
 Vestigia contrectavimus. (rum  
 Nobis itaq; ut in hac re fidem habeatis, par, atq;  
 Æquum esse arbitror. Ab hominibus  
 Quidem ad extremam dejectus est ignominiam,  
 Sed à Deo ad supremam gloriam est evehctus.

Nunc itaque

Ab eo profectum est nobis hoc beneficium,  
 Plane novum, atque inauditum hactenus:  
 Nimirum quòd nos audiveritis lingvis loquen-  
 Variis, à vobis intellectis omnibus. (tes  
 Porro veluti ad Davidem, hoc quod dictum est  
 oraculum,

Qui mortuus est, neque revixerit, ac commodari  
 Nequit, ita multò minùs reliqua videlicet  
 De ascensu illius ad cœlum, de confessu ad Dei  
 Patris dexteram, de regno cœlesti,  
 Quod in æternum illi est promissum. Id quo-  
 que quod David

In Psalmo loquitur mystico; Dixit Dominus Do-  
 mino meo, Sede

Sede ad dextram mihi: donec eos, qui tibi  
Adversantur, pro scabello pedibus subjecerim  
tuis;

Non de se est profatus, verùm de Christo, Dei  
Filio, Jesu isto Nazareno, quem in crucem  
Sublatum, summa infamia

Afficiendum vobis esse putastis. Quanquã nihil  
Effecistis, operamq̃ in eo lusistis omnem. Nam  
Revixit ille, atque in cœlum, unde venerat,  
Ascendit, nobis rem tam admirabilem

Coràm conspicientibus. *SIM. Commovit nos tua  
Tam cordata oratio. Sed quid faciemus viri  
Fratres: peccavimus graviter, & pœnam nos  
Meruisse fatemur. Quod factum est, infectum  
reddi non potest.*

PET. Scio ego isthoc. Sed id non imputabitur  
Vobis, si verè peccati vestri vos pœniteat,  
Et sacro sancto baptismi lavacro in nomine  
Jesu abluamini. Quod ubi fuerit factum,  
Vobis gratia sancti infundetur Spiritus,  
Qua nos jam donatos conspiciamini.

Neq̃; nunc, qualia sint, quæ antè perpetravit  
Quisquam, secum meditabitur:

Sed hoc sibi persvadebit, totum esse gratuitum  
Quod largitur Deus, omnium

Delictorum vestrorum planè oblitus. Ad  
Vestram enim gentem Joëlis propriè pertinet

Oraculum, quanquam & ad alios innumeros,  
quos

A vera religione nunc



Alienos, Deus sua clementia, in  
Regni sui consortium

Convocabit. Atque id ex verbis, quæ apud eun-  
dem sequuntur

Vatem, intelligitur facilè. Namq; hæc subjicit:

Quicumque invocaverit nomen Domini

Salvus erit, itaque in mandatis dedit nobis Deus,

Ut vobis primum hanc gratiam

Denunciemus: ac deinde ut gentes quoque

Eodem invitemus: quibus ille salutis viam

Per eandem fidem patere

Voluit. Siquidem hoc munus non ex hominum  
meritis,

Sed ex Dei gratuita beneficentia,

Atque liberalitate donatur nobis.

Nunc itaque videte fratres, ut tam insignem,  
tamque obviam

Divini numinis in vos amplectamini

Clementiam. HA. *Ob, jam dudum eam*

*Amplectimur reverende vir, atque peccasse nos  
pœnitet.*

*Nunc ergo quicquid tu posthac nobis præceperis,  
Exequemur sedulo.*

PET. Hem, laudo. Eamus jam intro. quæ ad sa-  
lutem

Porro vobis erunt opus, illic peragentur omnia,

ACTUS I. SCENA III.

ALEXANDER, MELCHIAS.

*Jambici.*

EHO, quid tibi de eo videtur Melchia,

Qui

Qui longiori oratione multorum  
 Cōmovit animos, & quem sunt sequuti plurimi,  
 Assentientes illi per omnia. MEL. *Equidem*

*Quid dicam planè nescio:*

*Nisi hoc unum, quod auditu tibi minimè  
 Erit jucundum: nimirum hanc rem ad perniciem  
 Nostram pertinere, & ad exitium religionis,*

*Quam, à majoribus olim nobis traditam,  
 Inviolatam, atq; incorruptã servavimus hætenus.*

AL. Metus ille tuus haudquaquam vanus mihi  
 videtur:

Nam, nisi me fallit animus, id unum moliuntur  
 Homines illi, seditiosi, atque huc omnibus  
 Incumbunt viribus. Quorum conatibus

Improbis nisi restiterimus, nisi eorum  
 Cohibuerimus audaciam, idq; primo tempore,

Quam illi nobis tragœdiam, quas turbas, &  
 Tumultus concitabunt? MEL. *Neq; visos, neque*

*Auditos unquam. Nam operæ precium est herculè  
 Advertere, quod palam, coràmque omni populo*

*Dicere non erubescant, Nazarenum istum,  
 Quem jure nos occidimus, Dei fuisse filium,*

*Et Messiam, sacrorum vatum oraculis  
 Nobis olim promissum: illumq; tertio*

*Revixisse die: atq; in cælum, unde venerat  
 Reversum esse in super. Eho, quid videtur? an*

*Non seditiosa hæc est oratio?*

*Nonne talibus verbis invidiam, atq; odium  
 Populi in nos facile concitent?*

AL. Facillimè. Nam cui persuasum est, virum

Eum piū fuisse, & innocentem,  
 Atq̄ adeo filium Dei, quem nos ut maleficū  
 E medio sustulimus, quo animo illum esse, &  
 futurum

In nos arbitraris? ME. *Pessimo hercule.*

*Atq̄, ideo ne fides eis*

*In hac re habeatur, prospiciendum nobis erit*

*Gnaviter. Atq̄, id ni fecerimus, actum est: nihil*

*Nos morabuntur, ubi se superiores (ximè.*

*Esse senserint. Atq̄, ideo hæc res mihi curæ est ma-*

AL. Et mihi quidem: nam de nostra omnium

Auctoritate, ac dignitate agitur, quam illi sibi

Planè contemnendam arbitrabuntur, simul

Ac victores evaserint.

Quod ne fiat, summa nobis est adhibenda cautio.

MEL. *Rectè tu quidem isthuc: itaq̄, in hac re me lu-*

*Præstabo adiutorem tibi. (benter*

AL. Hem, laudo. Nunc ad civitatis principes,

Sacerdotesque rectâ concedamus, ut

Super hac re consilium una capiamus, quomodo

Et illos ulciscamur, &

Nobis caveamus in tempore. MEL. *Placet, Præ-*  
*cede, sequor.*

## ACTUS II. SCENA I.

ANNAS, MELCHIAS, CAIPHAS

*Jambici.*

MIRA profectò sunt, quæ nobis intus narrasti  
 Melchia;

Quan-



Quamquam illa audiveram antè. Sed  
 Si vixero, nunquam istud impunitum  
 Relinquetur. Quin feditiosum hoc, atque male-  
 dicum

Hominum genus eò redigam, ut neque quo fu-  
 giant, neque

Ubi tutò deliteſcant, usquam ſint locum

Inventuri. Quod ubi evenerit, meritò

Id illis accidet: qui ſibi quicquid lubet,

Faciendum exiſtimant. Atq; id an æquum ſit, an

Iniquum, nihil vident, nihilq; penſi habent.

MEL. *In illos Ego graviter animadvertendum  
 arbitror:*

Quando id culpâ commoverunt ſuâ. CAI. Iſtud  
 herculè

Fiet propediem. Dormiunt,

At ego eos, ut merentur, excitabo ſacrilegos,

Qui ſe nullis teneri legibus, nosque

Sibi contemnendos, atque illudendos putant.

MEL. *Id ut facias, te dignum eſt Caipha, Planè  
 enim*

*Perimus, niſi audaciſſimum*

*Illorum cohibeamus inceptum: tantumq; dedecus,*

*Ac probrum à nobis propulſemus: technis, ac dolis*

*Conſuta illorum re fellamus mendacia.*

AN. Eho, rectè. Quis enim ferat,

Quæ nobis objiciunt homines viliffimi?

Quos à retibus, telonioque impoſtor ille

Aſcivit ſibi. qui nunc, neſcio quâ freti confi-

dentia,

Turbas, atque tumultus passim excitant: nos  
vosque

Ritus commenti, religionem à majoribus  
Nobis traditam, abolendam existimant.

Ridiculum, an illos prudentiores  
Nobis esse arbitrabimur?

Qui divinas vel memoriter tenemus literas?

MEL. *Faceffant illi idiote sacrorum mysteriorum  
Planè rudes: nobisq; ea explicanda*

*Relinquant, qui omnem etatem in hoc studio con-  
trivimus.*

*Illi se ad relictum referant opus: neque*

*Quae supra illos sunt inquirenda putent sibi.*

CAI. Id nisi faciant, magnum aliquod eis brevi  
eveniet

Malum. Atque ita me Deus amet, ut ego,  
quod in hac re vehementior sum, non animi

Atrocitate commoveor, sed impudenti

Illorum audaciâ, quâ quidvis sibi licere

Impune existimant. MEL. *Ea*

*Imprimis erit nobis cobibenda, si salvi*

*Esse volumus.* AN. Istud igitur decretum fit, ne

Ab eo nos ullis patiamur avocari

ionibus.-----

ACTUS II. SCENA II.

JACOBUS, JOANNES, PETRUS.

*Jambici.*

-----Deus bone! quanta commutatio

In nobis hesterno est facta die? & quàm feliciter

No-

Nostrum succedit negotium? Deus procul dubio  
 Adjutor est nobis. Nam non nisi illius  
 Auxilio talia nos præstare potuissemus. JOA. *Est*  
*Ut dicis frater: tria enim hominum millia,*  
*Aut paulo minùs eo, Petri oratione*  
*Commoti ad fidem se converterunt Evangelicam.*  
*Quod quidem haud nobis, sed soli ascribendum*  
*est Deo:*

*Cui totum hunc profectum acceptū ferre debemus:*  
*Cùm nostra industria hic effectum sit nihil.*

JAC. Verè tu isthuc, atque piè. Quid enim nos  
 possemus homunculi,

Nisi adjutorem, atq; propiciū nobis haberemus  
 Deum? Ab eo enim ad nos proficiscūtur omnia.

Ille est, qui nos sua benignitate ad hoc  
 Munus vocavit; quique nos sua dignatus est

Clementia. Iraque nobis ille laudandus,  
 Atque omnibus est celebrandus modis.

Sed eccum Petrum accedentem. PE. Deo

Maximas ago gratias, cùm pro insigni illius

In nos heri collato beneficio, tum pro

Tam fœcundo, copiosoq; profectu, quem præter  
 Opinionem consequuti sumus. At Jacobum, &

Joannem

Hic stantes conspico, ad eos

Accedam. Eho, hiccine eratis fratres? Salvete.

JA. Salve Petre. Ne nos hominū qui vivunt sumus  
 Felicissimi, quibus tanta Deus præstitit.

PET. Laudari ille à nobis satis

Nullis unquam poterit modis.



Noſtis quot ſua confeſſi crimina, &  
 Sacro ſancto baptiſmi lavacro abluti,  
 Doctrinam ſunt amplexi evangelicam? JA. Oh, ſci-  
 Et hic de eo loquebamur. Jo. *Quis hoc* (mus,  
*Eventurum dixiſſet unquam?*

*Metu hætenus delituiſimus,*

*Neq; prodire auſi fuimus in publicum.*

*Nunc autem id divina nobis præſtitit*

*Gratia, ut omni timore liberati, neminem*

*Formidandum nobis arbitremur. Sacerdotum*

*Enim minas jam nihil moramur, qui nobis*

*Divino numine confirmatis, neq;*

*Nocere neq; obeſſe queunt. PET. Sic eſt: nam Deo*

*Protectore ſatis erimus muniti. Sed hoc*

*Inter cætera mihi mirum videbatur,*

*Quod omnes illi, quotquot Jeſum eſſent profeſſi,*

*Communia ſua ſtatim facerent omnia, nihil*

*Proprium ſervantes ſibi. Hæc ſunt Evangelici*

*Proventus feliciffima exordia. Id autem velim*

*Nunc ut vobiscum perpédatis fratres, quo pacto*

*Res novi teſtamenti conveniant cum figura*

*Veteris. moſes, ut noſtis omnes, quinquageſimo à*

*Pafcha die primitias juffit offerri Deo. At*

*Nunc non ſpicarum; ſed animorum primitiæ*

*Domino*

*Sunt confeſcratæ. JAC. Intelligo probè.*

*quanquam non niſi rudimenta evangelicæ pie-  
 tatis ego*

*Hæc eſſe exiſtimo. quod hætenus eſt traditum,*

*Primæ doctrinæ lac eſt: poſthac ad ſolidum*

*Erit*

PENTECOSTE.

Erit proficiendum cibum.

PET. Utrumque necesse est ut paratum habeamus: cum

Præceperit nobis Dominus, ut gentes doceamus Omnes, ejusque illis proponamus præcepta. quibus qui non paruerit, quavis sit aqua tinctus, Tamen salutem consequetur nunquam.

Jo. *Verum isthuc est quod dicis: aqua per se nihil potest: firma in Deum fiducia*

Nos salvos facit. PET. Oh, rectè Joannes.

Sed ne immemores tanti erga nos simus benefici- Convocatis fratribus Deo (cii,

Gratias agamus, illumque oremus,

Ut quod inceptum est feliciter, sua

Benignitate etiã uberius provehere, ac secundare Dignetur. -----

ACTUS II. SCENA III.

HANANUS, AZARIAS, SIMEON.

*Jambici.*

---- O nos felices! qui ex tenebris, in quibus Versati fuimus hætenus, (mus.

Exempti, & ad lucem evangelicam perducti su-

Maximam tibi O Deus habemus gratiam,

qui hoc singulare, atque eximium beneficium,

Præstitisti nobis. AZA. Euge, piè, atq; ut te decet

Frater: quandoquidem ille per suum

Filium Jesum, hæc nobis effecit omnia.

SIM. *Ita est profecto: At verbis eloqui*

*Non possum, quam commutationem,*

*Quantamq; alacritatem in animo sentiam.*

*Neg, id aliunde, quàm ex divina beneficentia  
Mibi evenire existimo.*

HA. Eandem gratiam ego quoque in me experior affatim.

Oh, quàm tràquillo ego nunc sum animo. Nihil Posthac erit, quod curæ aut ægritudini

Mihi sit futurum. Quæ hæctenus

Possedi, lubenter in medium omnia

Contuli. AZA. Idem & mihi statim faciendum censebam. Nam quod

Nobis superest, cum tenuioris fortunæ fratribus Ut communicemus, æquum esse arbitror.

HA. Nihil ego pecuniam, aut agrum, aut vil- lam moror.

Dei benignitate abunde divitem

Me fore confido. SIM. *Mibi quoq;*

*Persuasionem eandem jam dudum indui.*

Nam parvo contentis necessaria desunt nunquã. Sed bone Deus, quanta inter nos est animorum concordia?

*Quantus consensus? idem & volumus, & nolumus Omnes. AZ. Nullum est desidiũ, aut controversia, Ubi pacificus ille spiritus animos*

*Arbitratu moderatur suo.*

*Atque hic demum est verum gaudium, ubi mens est bene sibi*

*Conscia, certaq; de divinis promissis fiducia.*

Sed quid de illis futurum est, qui sua

Excæcati pertinacia,

Necque ullis commoti prodigiis, Deo



Etiam nunc obfirmatis resistunt animis?

HA. Ipsi viderint: nam tantam pervicaciam,  
Atq; impietatem nunquam impunitā relinquet  
Deus. Si. *Nisi resipuerint, culpamque suam agno-*  
*verint,*

*Vae illis. Sed nolo in eos quicquam ominari*  
*Gravius. Deum oremus potius,*  
*Ut quibus nunc mundanarum cupiditatum*  
*Caligine cacutiunt oculi, illos sua*  
*Illustret clementia.*

HA. Utinā istud fiat. Sed ne id frustra optemus,  
Vehementer metuo. *nam ubi animus*  
Semel se cupiditate devinxit malâ,  
Consilia necesse est sequi consimilia.  
quid enim effeceris adversus hos,  
qui scientiæ opinione turgidi,  
Atque elati, præ se contemnunt quoslibet?  
qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant,  
AZ. Pro illis tamen nobis orandus est Deus.

SIM. *Rectè sentis. Sed intro nunc ad fratres, &*  
*Sorores redeamus: nam conspicio huc procul*  
*Adventantes nescio quos: Et hinc*  
*Abeamus, tempus nos monet.*

ACTUS II. SCENA IV.

ANNAS, CAIPHAS, MELCHIAS.

*Jambici.*

ENimverò Caipha, nihil loci est segnitiae, nec  
Socordiae, quantum & modò,  
Et aliàs seditiosorum istorum nebulonum  
Intellexi audaciam,

quam nisi omnibus conatibus  
 Cohibeamus, profectò, magnum aliquod malum  
 Nobis excitabunt. CAI. Id fiet procul dubio.  
 Video enim quam rem agant: ut nostra aucto-  
 ritate

Contemptâ, ipsi regnent. Huc affectant viam.  
 Errant, si nos sui consilii ignaros arbitrentur,  
 quare ut improbis horum conatibus

Obstetamus videndum est sedulò. MEL. *Rectè,  
 Laudo. Huc enim nobis est incumbendum, idq̄  
 Sine ulla mora. Nam quàm multos falsa  
 Religionis opinione, & simulata pietatis specie  
 Ad se pelleverint, satis, superq̄ notū est omnibus.*

AN. Ita me Deus amet, si vivo non auferent  
 Inultum; ut & ipsi ne quid tale posthac audeant,  
 Et alii ad simile facinus sint tardiores.

CAI. Ah, mala multa hæctenus illos nostra do-  
 cuit facilitas.

At nunc faxo, ut hanc animi nostri lenitatem  
 Sibi in crudelitatem commutatam sentiant,  
*Malo enim nodo, ut dici solet, malus  
 Est querendus cuneus. Itaque à nullo me exora-  
 ri sinam,*

Quin pro tam insigni isthac confidentiâ,  
 Illos uti dignum est, ulciscar mastigias.  
 Malim me inhumanum, quàm in tam gravi pe-  
 riculo

Aut negligentem, aut socordem viderier. MEL.  
*Probè:*

*Istbuctene. Quæ enim in tantâ sceleris immani-  
 tate*

*Coercendâ esse potest crudelitas?*

*Nam nisi audacissimis horum conatibus  
Maturè restiterimus, & execrandâ hanc heresin  
Radicitus extirpaverimus, propediem arma  
Quoq; ad evertendum religionis nostræ statum,  
Corripient homines isti, omnium*

*Qui vivunt, aut vixerunt unquam, perditissimi.  
AN. Tales sunt hercule. Itaq; neq; metus à periculo,  
Neq; pudor à turpitudine, neque ratio  
Ab hac sua malitia, atq; impietate eos  
Avocare potuit hætenus.*

*Quorum cum blanditijs condita est oratio,  
Minimè profecto mirandum est, si phaleratis suis  
Diçtis circumveniant, fallantq; plurimos.  
Vah, nescio quos illi nos homines esset existimât,  
Qui tantum scelus, atq; flagitium se impunè  
Laturos arbitrantur. Sed uti diei tempus est,  
Eamus nunc intro. Cras admodum diluculo  
Ex communi omnium decreto statuetur,  
Quo pacto in posterum in eos animadverten-  
dum fiet.*

ACTUS III. SCENA I.

PETRUS, JOANNES, ACHIOR.

*Jambici.*

**E**AMUS nunc in templum Joannes, sacris uti  
Vacemus precibus. JOA. *Age, placet.*

PET. Quamvis nusquam preces  
Nostras aspernetur Deus,  
Tamen hic aures supplicantibus  
Præbet maximè, Ac, Totam fere



*Hic desedi diem miser: & quod accepi  
Exiguum est admodum. Sed quinam sunt isti,  
Quos huc accedere conspico?*

*Ab his spero me accepturum aliquid: quandoqui-  
dem viri*

*Humani mihi videntur. Subvenite mihi obsecro,  
Quicumq; estis o boni, qui*

*A natali claudus fui die: & cui*

*Cum extrema paupertate res fuit haecenus.*

PET. Aurum aut argentum, quod tu expectas,  
non habeo:

Aliud, quod gratius erit, atque optabilius,  
Dabitur tibi. Quod cum consequutus fueris,  
non mihi,

Sed divinae id acceptum feres clementiae,

Quod enim hodie eveniet tibi,

Non humana arte, aut industria fiet,

Sed solus id in te sua virtute operabitur

Deus. ACH. *Mi homo, utinam ratum sit, quod  
praedicas.*

PET. Bono animo esto: & vide ne quod Deus

Est largiturus, tibi tua

Eripiat diffidentia.

ACH. *Nihil diffido quicquam, & nescio*

*Quam insolito animus mihi gestiat*

Gaudio. PET. Nihil mirum. Sed agedum, in no-  
mine

Jesu Nazareni surge, & quocumque lubet ambula.

ACH. *Deum immortalem! quodnam hoc est pro-  
digium?*

*Pedes, talosq; mihi planè confirmator,  
Atq; solidatos esse sentio. Oh, quis me  
Homo vivit fortunatior? nemo herculè*

*Quisquam: nam in me Deus hodie  
Potestatem ostendit suam. Præ gaudio  
Equidem, neque quid loquor, neque  
Ubi sum, scio: quia præter spem, atque incredibile  
hoc mihi*

*Accidit. Eho divine vir,  
Quo ego munere tantam erga me compensabo  
beneficentiam?*

*Aut quo pacto tibi tam bene de me merito gratiã  
Referam? PET. Itane statim oblitus es.*

*Tibi quod dicebam modò? ACH. Quid istud?*

*PET. Hem, rogas?*

*Ut neq; mihi, neq; cuiquam alii; sed soli Deo  
Quod esses consequuturus beneficium, tibi  
Asscribendum esse crederes.*

*ACH. Memini probè, & scio non nisi cœlesti gratia  
Adjutum, te tantam rem efficere potuisse.*

*PET. Recte: opus enim istud majus est,  
Quam ut humana hic quicquam sibi adscribere  
queat*

*Industria. Hoc tantùm nunc faciendum tibi  
Arbitror, ut templum nobiscum ingressus, Deo  
Pro beneficio in te collato, agas*

*Gratias. ACH. Nihil est quod æque fecero lubens.*

*ACTUS III. SCENA II.*

*SIMEON, AZARIAS, PETRUS.*

*Jambici.*

**P**RÔ summe Deus! quodnam ego portentum, at-  
que prodigium

Conspexi modo? Homini à nativitate claudò cor-  
poris

Firmitatem tribui, idq̄, unico

Verbo, quis obsecro tale quid aut vidit, aut

Audivit unquam? AZA. Monstri simile: atque i-  
deo quid

De eo dicam planè nescio. SIM. Neq̄ ego quidem.

Nisi quod divino eos credo illustratos numine.

Az. Idem & ego jamdudum persuasi mihi.

Sed in templum sequamur illos, ut quid præte-  
rea ibi sit

(viri

Futurum cognoscamus. SIM. Fiet. PET. Agitedum

Israëlitæ, audite me obsecro loquentem. Nescio

Profectò quid dicam, cur id, quod modo divina  
gratia

In hoc claudò exhibitum est miraculum,

Tantopere animos commoverit vestros. Quasi

Non alia, eaque majora, ante conspexeritis

Prodigia. Nec est quod nos intueamini,

Quorum virtute est effectum nihil. Hic quidem,

Quem claudum vidistis hæctenus,

Nunc in templo, ut coràm videtis, obambulat,

Sano, integroque corpore.

In eo, atque aliis multis jam vobis Deus

Conspiciendum præbet, quod olim

Divinis vatum oraculis

Eventurum prædixit. Itaque novum videri

Non debet, quod multò antè est denunciatum.

Vos



Vos equidem religiosè colitis Abrahami, Isaci,  
Atque Jacobi Deum, Sed hunc Dei, ad vos mis-  
sum filium

Adeo non excepistis amicè, ut latroni  
Postpositum, indignis afflixeritis modis:  
Atque ut maleficum, reclamante etiam Pilato  
præsìde,

Interficiendum decreveritis vobis. Cæterum  
Deus humana malitia abjectum filium, ad  
Supremam evexit gloriam:

Atque à morte revocatum immortalitate  
Donavit. Cujus rei nos testes sumus:

Qui eum à morte redivivum conspeximus,  
Audivimus atque contrectavimus insuper.

Ac deinde in cœlum etiam ascendentem vidi-  
mus. (modò

Nunc autem virtute illius non solùm hoc quod  
Contemplati estis miraculum,

Coràm vobis hic exhibuit Deus. (rem

Sed alia insuper plurima: quæ ut hic commemo-

Non est necesse, quando minimè ignota sunt

Vobis. Neque hæc eò dicta velim fratres, ut

Vos ad desperationem

Adigam, cùm divino consilio id sit factum:

Itaque peccatum vestrum, utcunque excusat  
ignorantia:

Nesciebatis enim sub forma humana,

Eaque vili, & contempta, divinam illam

Latere naturam. Nunc igitur restat, ut Dei

Imploretis clementiam;

Quæ parata, atque obvia  
 Erat vobis, si quidem ex animo, atque serio  
 Vestræ culpæ vos pœniteat: & Jesum, quem prius  
 Agnoscere nolulistis, nunc Dominum vestrum,  
 Deiq; filium esse confiteamini.

Qui veluti hic inter vos versatus est aliquot  
 Annos, ita reversurus est, ut vivos, atq; mortuos  
 Judicet. Neque id quo tempore sit futurum,  
 Scimus. Oportet enim prius per universum  
 Terrarum orbem Dei Evangelium prædicari.

Quod eventurum omnes divini olim denunti-  
 averunt

Vates. inter quos Mosis gravissima  
 Apud vos est auctoritas.

Quo duce Ægyptum reliquistis:

Et mare, per quod nulli unquam patuerat via,  
 Transiistis: deinde peragrastis desertum, atque  
 Legem accepistis. Atque ille hunc Jesum ad vos  
 venturum

Prædixit. Ita enim loquitur, quemadmodum  
 Omnes nostis: Prophetam vobis excitabit  
 Dominus Deus vester: non ex alienis, ast ex fra-  
 tribus

Vestris, cui parebitis per omnia.

Quod si quis erit, qui ei auscultare noluerit,  
 Ex universo populi cœtu ejicietur. Neque  
 Moses solus de Jesu est vaticinatus, sed  
 Prophetæ etiam reliqui à temporibus Samuelis,  
 Usque ad Joannem Baptistam, exactè de ejus  
 Nativitate, doctrina, miraculis,

Morte, resurrectione, atque ascensu ad cœlum  
 Nobis prædixere omnia. Recordamini  
 Obsecro, vos Prophetarum, atque Patriarcha-  
 rum esse

Filios, quorum Princeps fuit Abraham:  
 Cum quo pactum, fœdusque iniit Deus:  
 Nempe ut per illius semen, salutem  
 Per totum terrarum orbem consequerentur o-  
 mnes.

Vos tamen præ cæteris sibi eligendos  
 Putavit: ad quos filium suum misit:  
 Non alio consilio, nisi ut ab erroribus  
 Revocatos, vitæ æternæ vos participes efficeret.  
 Quapropter si sapitis, amplectimini hanc obla-  
 tam gratiam.

Sed veniunt huc Sacerdotes, atque magistratus  
 Templi. Si. *Saducei etiam adsunt: ne quid mali  
 Faciant nobis metuo.* PET. Bono este animo. *Nihil  
 Mali, salva innocentia accidere poterit nobis.*  
 Neque

Dubito, quin nos sint appellaturi. Malè  
 Enim eos habet, quod de sanato claudio per to-  
 tum oppidum  
 Est divulgatum. Maneamus hic atq; expectemus  
 Quid sit eventurum denique.

ACTUS III. SCENA III.

ANNAS, CAIPHAS, JOANNES, PETRUS.

*Jambici.*

*Quò nos magis seditiosum hoc hominum genus  
 Extirpare, atque perdere*

*Cona-*



*Conamur, hoc proficimus minùs. Et nescio  
In quam catastrophem hæc nobis evasura sit  
Tragædia. CAI. Infelicem mihi animus augu-  
ratur exitum.*

*Audivimus sanatum claudum, & quomodo  
Ad ipsos quotidie concurrant plurimi.  
Sed pro Deum immortalem! quantam ego hic  
video hominum*

*Multitudinem? AN. Impostores etiam istos  
In medio eorum conspicio. Hem, sequimini me, ut  
impium*

*Eorum interturbemus conciliabulum.*

*CAI. Præcede, nihil in nobis est moræ. Jo. Huc  
se conferunt.*

*PET. Video, sed nihil omnino me illorum terret  
Accessus, Audiamus quid sint dicturi.*

*AN. Ebo, audite quid in mentem nunc ventat  
mibi.*

*CAI. Quid? dic sodes. AN. Cum illis ut loqua-  
mur expedire*

*Non arbitror: sed statim eos comprehendamus,  
atq; in vinculis*

*Affervandos curemus sedulo. CAI. Rectè:*

*Nam altercando cum illis proficiemus nihil.*

*AN. Ehem, comprehendite duos istos populi sedu-  
ctores:*

*Eos dico, quos in medio omnium videtis*

*Consistentes. Euge, bene fecistis. Jo. Quidnam  
hoc sibi*

*Vult? Itane apprehendi jubetis innocentes?*

*Proq̄, beneficio maleficio rependitis  
Nobis? Ab, siccine fieri decet? CAI. Beneficia  
Illa vestra nihil moramur. Eho, quid cessatis?  
E templo eos abripite, & asservate sedulo.  
Causam illorum crastino cognoscemus die.*

## ACTUS III. SCENA IV.

HANANUS, SIMEON, AZARIAS.

*Jambici.*

O Indignum facinus! Hæccine vides, atque  
pateris  
Deus? ne tua nimis magna est clementia.  
Spero tamen illos non impunè laturus tantum  
scelus.

SIM. *Cobibe te frater, ac moderare affectibus.**Tarda est quidem divina vindicta,**Sed tarditatem supplicij gravitate sæpè**Compensat. Az. Verè tu isthuc dicis Simeon:*

Impietatis suæ

Ultorem aliquando sentient Deum. Nolo

In illos quicquam gravius dicere:

Ipsi se deliquisse intelligent

Pesteà, idque ferò, cùm nullus resipiscendi

Erit locus. HAN. id quidem fiet procul dubio.

Præterea spero nostris cras subventurum Deum:

Cujus ope adiuti, universo Pharisæorum,

Et Saducæorum gregi os

Obturabunt facillimè. nihil enim hic est,

Quod aut reprehendere, aut calumniari

Queant. Res est peracta subitò; neque clàm,

aut in

Oc-

Occulto, sed palam pro templi foribus:  
 Non magicis artibus, sed invocato nomine  
 JESU, quem illi extinctum planè persuadent sibi.  
 SIM. *Mirum certè est, hominibus istis tantam  
 inesse*

*Ingenij pertinaciam, animiq; malitiam, ut ea  
 Sibi incusanda, atq; vituperanda existiment,  
 Quæ laudem promerentur maximam.  
 Quid enim favorabilius, aut quid laudandum  
 magis,*

*Quàm gratis auxiliari miseris? Ah, talemne de  
 Se benè meritis referendam gratiam putant?  
 O homines ingratiſſimos!*

AZA. Quem sæpè claudum viderunt sedentem  
 pro foribus

Templi, nunc cum valido, confirmatoq; corpore  
 Coràm ambulantes conspiciant: non desinunt  
 Tamen calumniari, atq; incusare tam pium, &  
 Tam divinum opus. Ah, quæ est, si non hæc in-  
 gratitudo

Est appellanda maxima?

HAN. Non herculè ingratitude illa, at mera est  
 Perversitas, atque malitia, animique obfirmati  
 Cæcitas voluntaria. SIM. *Verum dicis. Sed quid  
 Moveat illos, satis, sæperq; notum esse arbitror.  
 Vident populum miraculis*

*Commotum, ad nos concurrere undiq;*

*Jesuq; nomen, quem ipsi, ut sceleratum, atque  
 maleficum*

*E medio sustulerunt, confiteri plurimos:*



*Et numerum quotidie augeri credentium.*  
*Hoc illos male habet impios,*  
*Animosque eorum torquet, atq; affligit maxime.*  
*Hinc illa plus quam hostilis in*  
*Nos simultas atq; odium.* Az. Vera herculè sunt  
 Quæ prædicas. Sed jam dudum sol occidit,  
 Et vespera appetit. Eamus nunc intrò, atque De-  
 um oremus, ut  
 Cras illis subuenire suâ dignetur gratiâ. Et  
 Quod inceptum est feliciter,  
 Ad bonû perducatur exitum. HAN. Rectè mones.

## ACTUS IV. SCENA I.

ACHIOR, ANNAS, PETRUS, JOANNES.

*Jambici.*

**R**Evisto quid futurum sit de illis viris  
 Probis, piisque, quos heri  
 Phariseorum, atque sacerdotum principes,  
 E templo trahi jubebant,  
 Satis, ut mihi quidem videbatur, inhumaniter.  
 Quod si quid in eos fortè statuant durius,  
 Graviusve, palam me illorum opponam tyran-  
 nidi:  
 Etiam si mortem intentent, atq; minentur mihi.  
 Quam hercule pati malim, quàm eos, qui tam  
 bene  
 De me sunt meriti, tractari pariar indignius.  
 Sed quid hoc? omnes eos foras egressos cōspicor.  
 Petrus quoq; & Johannes adsunt. Oh, bene est.  
 Gaudeo. propius ad illos accedam, ut videam,  
 Quid sit hinc eventurum, hoc agam.

AN. Eho, respondete ad ea jam nobis,  
 Quæ interrogaturi sumus.

PET. Percontamini quæ vultis, speramus nos  
 Satis facturos vobis. AN. *Confidenter id*

*Quidem satis.* JOA. *Qui non deliquit, illum*  
*Pro se intrepide, atq; libere loqui decet.*

AN. *Ecce autem alterum: in eodem ludo eos*  
*Ad nequitiam edoctos dixeris.*

*Si unum noris, omnes cognoveris. Verùm*  
*Mirtamus illa, & de hoc, quod decretum est a-*  
*gamus serio.*

PE. *Placet.* AN. *Nūc itaq; dicite mihi, cujus nomine*  
*Aut virtute claudo sanitatem*  
*Hesterno restituis die?*

PE. *Populi principes, & seniores, attentis auribus,*  
*Animisque benevolis audite me obsecro.* AN.  
*Age, loquere:*

*Sed vera nobis dici volumus, mendaces*

*Pessimè odimus.* PET. *Quæ ex me audietis, vera*  
*Erunt omnia: mentiri enim non est meum.*

AN. *Agedum auscultamus.* PET. *Mirabar equi-*  
*dem cur nos*

*Comprehensos in custodiam*

*Heri deduci mandabatis; cùm nihil*

*Mali commissemus. Locus ille maleficis,*

*Non innocentibus paratus est.* ACH. *Ob vir*

*Reverende, ego quoq; hic adsum, beneficio tuo*

*Sanitatē consequutus.* PE. *Bene fecisti. Sed ræce.*

*Aliud enim jam hic agendum est nobis. Vos ap-*  
*pello, qui*

Primates populi estis. Videtis hunc hominem,  
 Contractis membris ante debilem,  
 Atque à bajulis gestari solitum, nunc sanum,  
 Atque integrum. Vos quæritis  
 Cujus virtute sit factum. Non magicis attibus,  
 Neq; humana ope, neque nostra industria  
 Id est effectum. Solius Jesu Nazareni  
 Virtute hoc illi contigit bonum: quem vos  
 Ut hominem sceleratum atque nefarium occi-  
 distis: quem Deus

A morte tertio die

In vitam revocavit, & immortalitate  
 Donatum, rebus præfecit omnibus.

Itaque nunc ille sua virtute per nos efficit  
 In ægris infirmisque sanandis, quod ipse, dum in  
 Terris nobiscum erat, permultis præstitit.  
 Atque huc procul dubio referendum est, quod  
 In Psalmis legimus Davidicis:

De lapide nimirum ab hominibus rejiciendo,  
 Qui tamen à Deo ad summum esset subvehendus  
 Honorem. Præsentem illum vidistis contem-  
 ptum ab omnibus:

Nunc contrà per hunc, ad maximam  
 Dignitatem sublatum, Deus salutem  
 Offert vobis, quam quæso ut amplectamini,  
 Dum tempus est, veniaque criminum suorum  
 Parata est cuique. AN. *Verba equidem haud tibi  
 desunt,*

*Sed an sint vera, quæ dixisti, nescio.*

*Scedite hinc paulisper, donec vos revocavero.*



## ACTUS IV. SCENA II.

ANNAS, CAIPHAS, ALEXANDER, SYRUS.

*Jambici.*

Quid ais Caipha, aut quid in hac re nobis faciendum

Censes? Inficiari non possumus, quod ab illis est factum. CAI. Sic est. & quod præstiterunt Minimè vulgare est. AN. Verum dicis: Atque i-  
deo in eos

Nihil hoc tempore durius decernendum arbitror: Ne inclementes, & iniqui videamur. ALE. Quid igitur.

Faciemus? cedo sodes. AN. Dicam. Revocabimus eos ad nos, & gravibus interdicemus minis, Ne posthac apud quenquam Jesu istius Mentionem faciant, aut usquam de eo Loquantur. Ita fiet, ut illis tacentibus Populus formidine territus, Deficiat atq; dilabatur propediem.

CAI. Si id nobis expedire videtur tibi, age, assentior:

Nisi quid dissentis Alexander. AL. Sententiam Annæ probo: atque ita ut fiat velim. AN. Fiet. Ehem, huc eos ad nos statim reducite. SYR. Effectum dabimus.

AN. Nunc intro, si videtur, paulisper eamus, Dum redeant. CAI. Placet. I præ, sequimur.

## ACTUS IV. SCENA III.

PETRUS, JOANNES, SYRUS.

*Jambici.*

**D**Eo nobis frater, magna est habenda gratia,  
 Qui tantam nobis in loquendo largitur  
 Confidentiam: nostrosq; animos ita  
 Confirmat, ut metuamus neminem.

JOA. *Eam certè constantiam, atq; fortitudinem à  
 Deo nobis infundi planè existimo:*

*Nullus enim posthac unquam me suis  
 Terrebit, aut eò inducet minis,* (ri, &

*Ut Christum Jesum servatorem nostrum confite-  
 Celebrare desinam. Non si atrocissima*

*Intentent supplicia: atq; adeo mortem si quis  
 Minetur mihi.* PET. Mihi quoque

Pro Christi nomine, atque verà religione  
 Jucundum, ac dulce erit mori: nam qui ita perit,  
 minime interit.

Sed ex hac calamitosa vità in æternam requiem  
 Commigrat. JO. *O quàm illi sunt felices, quibus  
 Ad cœleste istud domicilium accessus patet:*

*Ubi plena gaudiorum sunt omnia.* PET. Eò nos  
 Aliquando hinc profecturos, bona

Spes animum habet meum. JO. *Neque de eò  
 dubium est mihi, at*

*Priùs que in mandatis habemus, exequenda sunt  
 Nobis. Deinde præmium*

*Expectamus, divinà gratià nobis*

*Decretum. Sed ministros Phariseorum ad nos  
 Venire conspicio. revocabunt nos, ut arbitror.*

PET. Id erit: Satis enim jam deliberaverunt diu.

SYR. Eho viri, salvete. ut vos ad principes  
 Sacerdotum reducamus mandatum est nobis.

Jo. *Parati sumus. Hem, precedite, sequimur.*  
 SYR. *Benè dicitis.*

## ACTUS IV. SCENA IV.

ANNAS, CAIPHAS, JOANNES, PETRUS.

*Jambici.*

**E***Grediamur rursus, nam illos jam jam adfuturos arbitror.*

*Atq; eccos.* CAI. Bene se res habet:

Ego eos prior compellabo: tu orationi

Meæ, si quid defecero, ut subservias

Vide. AN. *Faciambereclè sedulò.* CAI. Adeste  
 huc viri,

Et advertite ad ea, quæ dicturi sumus

Vobis. PET. Jamdudum nos præbemus attentos:

CAI. Expendimus nobiscum diligenter

Causam vestram, quæ minimè probatur nobis.

Nam quæ molimini, ad rempublicam nostram

Turbandam, atque ad commovendos

Tumultus spectant omnia.

Quapropter, quamvis prænam meriti estis gravem, tamen

Clementer vobiscum nunc nobis agendum

Existimavimus. Missos itaque jam vos facimus:

Sed eâ conditione, atque lege, ne cui

Mortalium usquam posthac vel clàm, vel palàm

Christi doctrinam prædicetis;

Neque publicè aut privatim de eo apud quenquam

Loquamini. Quod si hoc concilii nostri decretum

Vobis aut negligendum, aut contemnendum e-

xistimabitis,

Re-



Remedium isti pertinaciæ

Inveniemus; neque sine vestro, ut arbitror,  
Magno malo. AN. *Id quidem futurum est:*

*Itaq; cavete vobis, si sapitis.* PET. Deus bone!

Quodnam hoc est edictum? Jo. *Ab, iniquum  
planè est, quod à* (citis,

*Nobis exigitis.* AN. *Quod iniquum vos esse di-  
visum est nobis æquissimum. Quibus nisi  
Pareatis, incolumes & salvi non eritis diu.*

PET. Ut me patienter audiat obsecro,

Pauca loquentem. An justum, æquumque puta-  
tis, nos in

Dei conspectu, vestris iussis obsequi

Potiùs, quàm mandatis divinis? penes

Vos, qui legis tenetis præcepta, hujus

Rei judicium esto. Nostis quæ eventura

Divina vatum olim prædixerunt oracula. Et

Nos scimus, quid Christus Dei

Filius in mandatis dederit nobis, quid Spiritus

Cœlestis, quem ille à parte suo misit, animis

Nostris infuderit. Id nimirum, ut omnibus

Nomen Domini nostri Jesu prædicemus:

Vtque ea, quæ nobis præsentibus

Locutus est, & fecit, neminem

Celemus. Vos ipsi, si quod rectum est discernere

Volueritis, sententiam mutabitis: (qui.

Quodque in mandatis habemus, nos finetis exe-

Id si à vobis cum gratia impetrare non

Poterimus, quicquid de nobis statueritis,

Æquo, ac patienti animo feremus. Nam quæ

vidimus,

C 4

Et

Et quæ audivimus, nullo nobis tacenda sunt modo.

Præsertim cùm Deus, qui hominibus omnibus Est præferendus, prædicare ea passim velit.

AN. *Vah, antiquam profectò vestram pertinaciã Obtinetis. Apagite. Quia nihil Lenitate profecimus hæctenus, iram Nostram sentietis propediem. Jo. Quicquid In nos decreveritis, patiemur fortiter.*

ACTUS V. SCENA I.

C A I P H A S.

*Jambici.*

TOTAM hanc noctem insomnem duxi, nihilq; etiam nunc

Quietis est in pectore. (orto, è gravi Modò admodum diluculò, soleque nondum ex- Expergiscebar somnio.

Mox cœpi mecum rem aliam ex alia cogitare, & Omnia in pejorem partem, uti fieri solet, Vbi quid molestiæ est in animo. Quid multis moror?

Lectum tandem relinquo, atque huc me profi- pio foràs.

Nunc itaq; quo magis horum audacissimorum hominum

Mecũ perpendo confidētiam, hoc magis metuo, Ne illi nobis tumultus excitent gravissimos: Adeò execranda hæc plurimos passim corripuit hæresis.

Quod claudio contigit, populus miratur, &

Sum-

Summis tollit laudibus. Quod & ego quidē mihi  
 Faciendum putarem, si divina virtute id  
 Effectum crederem. Nunc cū illos eo animo  
 Esse videamus, ut quæ nobis à majoribus  
 Sunt tradita, omnibus abolere conentur  
 Viribus: cum rejectis patrum nostrorum  
 Decretis, nova, inusitata, & inaudita  
 Comminiscantur, plebemq; passim ad seditionē  
 Concitent, quis eos tolerandos censeat?  
 Sed video huc accedentem Alexandrum. Vultus  
 Herculè non placet, nam est tristior,  
 Idem illum quod me, ut arbitror, torquet malū,  
 Subsistam hic, ut quid sit dicturus, audiam.

## ACTUS V. SCENA II.

ALEXANDER, CAIPHAS.

*Jambici.*

**D**eum immortalem! quàm turbatus est mihi  
 Animus: neq; die, neq; nocte quiescere possum  
 Unquam: adeo me sollicitat horum nebulonum  
 audacia.

*(aliquod*

*Quam nisi coerceamus, metuendum est, ne magnū  
 Nobis pariant incommodum.*

*Neq; quo pacto adversus eos quicquam profecturi  
 Simus video, cū increpationes, & minas  
 Nostras nihili faciant.* CAI. Facile divinabam id  
 fore.

Sed compellabo. Eho, hiccine eras Alexander?  
 Non prævideram te. AL. Neque ego te Caipha,  
 CA. Credo. Sed quidnā est istud, quod mihi solito  
 Videare tristior! Quamquam quid torqueat te  
 propemodum

C5

Scio;



Scio: eadem enim res & me malè habet maximè.  
De qua, dum tu huc accedebas, mecum loquebar  
Modò. Sed quod remediũ huic inueniemus ma-

AL. *Nescio equidem: nam pertinax* (lo?

*Hominum genus est: quos neq; minando*

*Neq; commode loquendo commoveas magis*

*Quàm cautem, aut silicem. Et crescit eorum nu-  
merus quotidie.*

*Et audio esse, qui possessionibus omnibus suis*

*Divenditis, pecuniam ex his collectam*

*In commune, nihil sibi servantés, conferunt.*

CA. Idem & mihi narravit quidã, cui credo satis.

Deus bone! quid non efficit simulata, ac fucata  
religio?

Miseret me eorum qui se decipi (mihi:

Ad istum patiuntur modum. Hoc velim credas

*Nihil in speciem fallacius est, quã prava religio,*

*Ubi divinum numen prætenditur sceleribus. AL.*

*Hem,*

*Recte, nihil in vita audivi dici prudentiũs.*

*Sed quomodo illos tandem cohibebimus? aut quid*

*Cõsiliũ das Caïpha? CA. Quasi nobis desint carceres*

*Et vincula. His eos coercendos existimo.*

AL. *Ob, laudo. CAI. Neque iis contenti, tormen-  
tis, cruciatibus, &*

*Suppliciis illos affligemus atrocissimis. (ter,*

*Neq; quicquam in illos decernemus tam crudeli-*

*Quin pejora etiam eos meruisse dicant omnes;*

*Exceptis illis, qui ejusdem mali contagio*

*Correpti, atq; suis excæcati affectibus,*

Quod

Quod maximè culpandum est, laudant maximè.  
Sed tales nihil moramur, illisque os faciliè obtu-  
rabimus. *(monet.)*

AL. *Id ut faciamus, equidem res, & tempus nos*  
CA. Immo necessitas: Nam nisi eorū obstiterimus  
Audaciæ, nisi impudentem confidentiam  
Cohibuerimus, actum est de nobis omnibus.  
Ubi semel superiores evaserint,  
Frustra illorum impediemus conatus. & quò  
Res spectet, quidque illi moliantur, notum est  
omnibus

AL. *Sic est profectò.* CAI. Eamus nunc intro. Simul  
Ac cras diluxerit, ad Annam ibo, atque hac de  
re cum illo loquar

Serio. -----

ACTIUS V. SCENÆ III.

JOANNES, PETRUS.

*Jambici.*

----- *Eho frater, quid tibi videtur?*  
*Missos quidem illi nos hesternò fecerunt die: at*  
*Graviter interminati, ne de Christo apud*  
*Quenquam verbum faceremus ullum: quo quid*  
*obsecro*

*Præcipi potest iniquius?* *(fabulam, ut*

PET. Dictum id quidem à nobis est satis: at furdo  
Ajunt canebamus. Verùm nihil minæ  
Illorum me terrent, cùm Deum  
Habeamus adjutorem, ac propiciam nobis.

Jo. *Idem planè est animus mihi. Nam quis un-*  
*quam cum Deo*

*Pugnavit feliciter?* PET. Nemo frater, quid enim valent

Adversus divinum consilium humanæ vires?

Donec Deus aderit nobis, nihil calumniæ,

Nihil doli efficient quicquam. Nam veritas

Tegi, aut premi ad tempus potest, sed opprimi nullo modo.

Comminiscantur, fingantque quod volent,

Nihil efficient tamen. Nam nostra, quæ divinâ gratiâ (sunt:

Adjuti facimus opera, manifesta atque aperta

Et talia, quæ nemo culpâre, aut reprehendere queat. (nihil

Atque interim tamen hi Pharisæi intentatum

Relinquunt, ut Christi doctrinam tollant, &

Aboleant, extirpentque funditus. JO. *Id quidem*

*Illis puto fore difficillimum.*

*Quanquam sibi confidunt, nosq; ut idiotas,*

*Atq; indoctos contemnunt, nihil ego id moror.*

*Falsa illos seducit persuasio. Qualis*

*Ipsorum sit vita, quæ impietas, quãtãq; nequitia,*

*Non solum nobis; sed pluribus*

*Alijs etiam est notissimum.*

PET. Quærunt honorem ac dignitatem, primumque in conviviis

Locum, & omnibus se præferri volunt.

JOA. *Jam pridem illorum innotuit fucus. At*

*Nisi me fallunt oculi, video quosdam ex fratribus*

*Huc accedentes, illos hinc opperiamur.* PET. Placet.

ACT.



## ACTUS V. SCENA IV.

AZARIAS, HANANUS, PETRUS, JOANNES.  
Jambici.

**E**X animo gaudeo frater, Petrum, & Joannem ex

Phariseorum salvos evasisse manibus.

Verebar enim ne quid inhumanius in eos

Desernerent. HAN. Idem & ego metuebam Azaria.

Sed quid eis obsecro potuissent objicere?

Claudum sanatum? Az. *Ridiculum. Non nisi*

*Maleficiū cuiquam imputari, aut objici solet.*

*Sed utrumque huc accedentem conspicio. Viden?*

HA. Video. PET. Hananus est & Azarias. Oportune,

Atq̄ in ipso tempore hic illi nobis veniunt

Obviam. Az. *Eho fratres, salvete, gratulamur*

*Vobis, quod incolumes à Phariseis estis*

*Dimissi: & hinc inter nos gaudium*

*Exortum est maximum. Nam quanquam nihil habebant,*

*De quo vobiscum jure exoptulare*

*Possent; tamen ne quid odio, aut malevolentia*

*Impulsi, iniquius, aut crudelius*

*In vos decernerent, metuimus admodum.*

PET. Credo frater. Sed audivistis, ut opinor,

Quantopere nobis sint interminati, ne

Christi nomen prædicemus uspiam.

HA. Audivimus; atq̄; ea res magno dolori,

Atque

Atque ægritudini est nobis. JOA. *Faceſſat ægritudo,*

*Valeat dolor. Nihil nobis metuendum exiſtimo: Dei enim præſidio abunde muniti ſumus.*

PET. Verè tu iſthuc frater, atque fortiter.

Oh, laudo. Ab eo quod Chriſtus nobis præcepit, Neque minis, neque tormentis nos patiemur avocarier.

Quanquam mortem intentant, *in morte nihil eſt, quod*

Magnopere nobis metuendum arbitror; & Deo Gratiam habeo, cujus numine hæc in animos Noſtros infunditur constantia.

JOA. *Non aliunde proſectò. Quàm enim infirmi fuerimus antè,*

*Probè ſcimus. Sed eccum huc accedentem Joſephum:*

*Quem nos propter eximias, quas in illo deprehendere*

*Nobis videbamus animi dotes,*

*Barnabam appellandum exiſtimavimus.*

*Pauliſper maneamus, donec huc acceſſerit.* PET. *Fiat.*

ACTUS V. SCENA V.

JOSEPHUS, PETRUS, JOANNES.

*Jambici.*

FUndum quem habebam in Cypro vendidi: & pecuniam

Quam emptor numeravit, non mihi Soli ſervandam cenſeo, ſed cæteris

*Eciam*

Etiam impertiendam fratribus.

Atque id ut æqualiter fiat, totam hanc summam ad

Pedes Apostolorum effundam. Nihil enim proprium mihi, sed quod habeo, omnibus ut commune sit volo.

PET. Audin' quid dicat? JOA. *Ob, audio, & animus mihi*

*exhilaratur gaudio. Sed alloquamur.*

PET. Ehem Josephe. JOS. Quis est qui me? Eho fratres, non prævideram

Vos. PET. Credo. Sed unde nobis ades, aut ubi delituiisti hactenus?

Jam enim aliquot sunt dies, quòd te non vidimus.

JOS. In Cypro mihi negotium fuit, ubi agrum vendidi.

Pecuniam ex eo quam accepi, huc adfero.

Distribuite illam inter fratres, ut cuique opus erit: nolo mihi quicquam esse peculiare, aut proprium.

PET. Hem, laudo. Ita fieri decet.

JO. *Idem & alij fecerunt multi, & plures facturos confido. Vilia illa sunt,*

*Et contemnenda: neq; nobis servanda, sed liberaliter communicanda cum indigentibus,*

*Majora, atque excellentiora expectamus, quæ post brevem*

*Hanc vitam se donaturum nobis pollicitus est Deus.*



Jos. Istud ego præmium expecto, idque unum  
desidero.

Reliqua facile contemsero. PET. Euge istud tene,  
Sed nostin' quid te absente hic nobis interim  
Evenerit. Jos. Nihil omnino. at narra obsecro.

PE. In carcere desidendum nobis fuit, una tamen  
Non amplius nocte. Jos. Quid in carcere? quod-  
nam ob facinus? PET. Non

Est nunc narrandi tempus. Eamus intro, ibi  
Omnia memorabimus tibi;

Simulq; convocatis fratribus, atq; sororibus,  
Divinam in nos celebrabimus

Munificentiam. JOA. *Admones probè: Ita enim  
nos facere decet.*

Jos, Hic finem sibi faciendum censuit didascalus  
Noster. Valet omnes, & si meruimus, plaudite,

F I N I S.

